

PRO DUCE
MEDITATIO E. EVANGELII.

DOMINICÆ 8. POST TRINITATIS Additis S. Patrum dictis, Quæstio-

nūmq; aliquot decisione, ad uberiorem textus, cūm opus est,
explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

In Regia Aboënsi Academia.

P R A E S I D E

DN. Æ SCHILLO PETRÆO
S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore.

Examini subiçit, in Auditorio Majori, horis solitis
Ad diem Augustij Anni 1651.

JOSEPHUS GEORGII MOJERUS.
FINLANDUS

(A)

Lyra in hunc locum.

Prophetæ uno modo idem est quod prosecutor: At quia venenum non propinatur, nisi
melle tinctum, ideo subiçitur: qui veniunt, ad vos in vestitu ovium. Quia falsa
doctrinam palliant, apparentia virtutum.

(B)

Theophylactus in hunc locum.

Hoc loco ostendit Christus seipsum Dominum, quandoquidem dicit, Domine Döine: Nā
ita & se Deum dicit. Docet autem nos, si fidem absq; operibus habuerimus, nihil
nobis sam profuturam. Nam dicando, qui facit voluntatem, non dicit, qui ses
mel facit, sed qui usq; ad mortem facit.

A B O E

Excudebat Petrus Wald/ Acad. Typogr. Anno. 1652.

Spectatissimis, Reverendis, Humanitate & præstantia
intigerrimis VIRIS

DN. Martino Schilling/ Regij
quod Aboæ est Dicasterij Secretario expeditissimo.

DN. Andreae J. Keckonio, Sch.
Archopolitanæ Rectori dignissimo, Præceptorî haud ita pri-
dém, plurimū honorando.

DN. Erico Pastorî in Coppis vigi-
lantissimō.

DN. Jacobo B. Lignipœo, Sch.
Archopolitanæ Correctori fideliſſimo, quondam Præcepto-
ri colendo

DN. Johanni M. Pacchalenio,
Verbi Divini Ministro in Gangasala pervigili.

DN. Nicolao Johannis, Ecclesiæ
Dei in Messukylä Comministro perfideli.

Dn. Promotoribus, Benefactoribus q̄ meis propensiſſi-
mis & Aſinib⁹ dilectissimis, meditationem
hanc Sacram, in grati animi ſignum, pro benefi-
cijs ſepiſſime mibi præstitis, per quam officioſe
dedico & offero.

J O S E P H U S G. Mojerus Respondens

MEDITATIO TEXTUS.

DOMINICÆ 8. POST
TRINITATIS.

In Sancte & Summe Laudanz Trinitatis, Patris, filii,
& Spiritus Sancti Nominis.

Omnis sermo Dei igni coctus, clypeus est sperātibus in se: ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inveniarisq; mendax. Duo rogavi te, ne deneges mihi, antequam moriar: Vanitatem & verba mendacia longē fac ā me: Mendicitatem & divisionem ne dederis mihi: tribue tantum viatu meo necessaria: ne forte satiates illiciar ad negandum & dicam: Quis est Dominus? Aut egestate compulsus furer, & peccem in nomine Dei mei, Proverb. 30: 5. 6. 7. 8. 9. Quibus verbis Salomō Sapientissimus egregie commendat verbum Dei. 1. Quod sit in se certū & infallibile, nihil quod erroris admixtum habeat, nihil quod seducat a recta via ad æternam salutem tendente, quod luceat, splendeat viamq; monstret non obscurè; Sed recte & bene in hoc mundo incedendi. 2. Quod valeat contra omnes hostes animæ, ut possimus depellere omnes diaboli insultus quando verbum Dei pro nobis adducimus, tum cogitur Satanæ cedere, & filijs Dei victoriam concedere. Deinde Salomon prohibet in his verbis, aliquid addendum esse verbo Dei, sic enim fiet, ut qui hoc facit, tandem mar-

gatur & inveniatur mendax. Addere autem verbo Dei est illud contra *Aναλογιαν* fidei explicare, quo ipsum crassum & perniciocissimum committitur mendacium. 3. In his verbis præcationem instituit piam, petens verbum Dei & panem quotidianum, ut posset hic pie & tranquille & illic in æternum vivere. Unde patet Salomonem sollicitum fuisse, non solem de pane quotidiano, sed cum primis de verbo Dei & vera Religione. Quomodo etiam nos solliciti esse pebemus, ut veram Religionem retineamus, docetur in hoc Evangelio fulius.

Oremus autem Deum, ut hodiernum, Evangelium ita mediari queamus, ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrine, & bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in æternam beatitudinem. Dicamus igitur. Pater noster &c.

E V A N G E L. Matth: 7:v.15. usq; ad 24.

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas: aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: Mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: Neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum exciditur & in ignem mittitur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omissis, qui dicit mihi. Domine Domine, intrabit in regnum coelorum: Sed qui facit voluntatem patris mei, qui in coelis est. Multe dicent

dicent mihi, in in illâ die: Domine, Domine, nonne
in nomine tuo prophetavimus; & in nomine tuo dæmo-
nia ejecimus: Et in nomine tuo virtutes multas feci-
mus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos
Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

Christus in hoc Evangelio, admonitionem instituit se-
cram, de cavendis falsis prophetis, venientibus ad Ec-
clesiam in vestitu ovium, qui intrinsecus sunt Lupi rapa-
ces. Hortatur nos ad considerandum fructus eos
rum, ut discamus cognoscere eos ex fructu, quod sint fal-
si prophetae. Illustrat hoc similitudinem à spinis & uvis
sumpta, nec non à tribulis & fuscibus, postea ab arbore bo-
na & fructibus bonis; Arbore mala & fructibus malis si-
militudinem sumit. Addit etiam quia pœna maneat fal-
sos doctores & eorum lectorates, quod sicuti ar-
bores mala, non facientes fructum bonum dele-
buntur & in ignem mittentur. Hinc repetit
admonitionem de dignoscendis falsis doctoribus ex-
eorum fructibus. Postea addit Dominus admo-
nitionem, de cavenda hypocrici & simulatione, docens
quod non sufficiat externo modo simulate pietatem, &
interim ipso opere discedere à voluntate Dei. Prædicit
autem Christus multos tales inventum iri in extremo die,
qui extrinsecam istam pietatem mirificè Laudabunt, &
de operibus gloriabuntur miraculosis; quod propheta-
verint in nomine Christi, quod dæmonia ejecerint in no-
mine ejus, quod multas virtutes fecerint in nomine ejus;
Verum haec omnia nihil proderint ipsi, siquidem defue-
rit vera fides in Christum. Ideoq; confitebitur illis Christus
dicendo: Nunquam novi vos; discedite à me omnes

qui operamini iniquitatem. Exitamur in hoc Evangelio ad servandum Tertium praeceptum Dei, quod agit de praedicando & audiendo verbo Domini. Vult enim Deus in hoc praecepto, ut verbum suum pure & sincerè doceatur, nihilq; falsi admisceatur. Monemur in hoc Evangelio serio & diligentè orandum esse, ut Sanctificeatur Nomen Dei apud nos, ut emittat Deus in messem suā fideles operarios; à falsis verò doctoribus Ecclesiam suā servet.

P A R T E S.

1. *De admonitione Christi, quā jubemur cavere falsos prophetas.*

2. *De admonitione Christi, quā jubemur cavere simulationem in cultu divino.*

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus: Omnipotens & aeternus Deus, Pater noster cœlestis dilectissimus, nobis omnibus benedicit, et cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.

P A R S P R I M A

In quā meditamur:

I. Quæ causa admonitionis

Christi, de cavendis falsis prophetis. Causa indicatur à Christo in verbis precedentibus apud Evangelistam: Ubi Dei filius hunc in modū loquitur: Intrate per angustam portam, quia lata porta & spaciovia est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam, Quoniam

niam angusta porta & arcta viâ est, quâ ducit ad vitam, &
pauci sunt qui inveniunt eam. Quibus verbis salvator
indicat summum esse periculum, si quis cæcum ducto-
rem sequatur, volens tendere ad æternam salutem. Ac
cidit enim ut ita ductorem cæcum sequens, unâ cum du-
ctore in foveam cadat, & ita æternâ salute excidat. Unica
enim est via ad salutem, & quidem illa arcta; in quâ pau-
ci sunt viatores. In alterâ autem viâ ducente ad perdi-
tionem multi ambulant. Potest itaq; facilè fieri, ut sim-
plex aliquis, multitudine permotus, in illam viam incidat,
in quâ unâ cum ductore & comite in perditionem ruit.
Hinc pròinde diligenter dispiciendum, ut videntem & fi-
delem ductorem habeamus in via salutis. Tales ducto-
res sunt Sinceri & puri verbi prædicatores qui sequendi
sunt atq; inde est, quod Christus admonitionem propo-
nit de cavendis falsis prophetis.

L. C. Non est nisi unica via ad salutem æternam
ideòq; una saltem religio vera, quâ ad vitam æternam du-
cimur. Vanum est itaq; & fallum, quod quidam dicunt
quemlibet in suâ religione salvari. Omnis enim religio
quæ non cum Christo, contra Christum est, & qui non
colligit cum Christo ille dispergit. Lue. iii: 23: Diligen-
ter cavendum ne inde deflectamus ad falsam religionem,
quod ei religioni multi sint addicti, & quidem opulon-
tiores & potentiores. Sicuti hoc tempore Papisticae re-
ligioni ferè potentiores addicti sunt. Hic non move-
mur, cogitemus intrandum esse per angustam portam,
& arctam esse viam, quâ ducit ad vitam, paucosq; esse,
qui inveniuntur in eâ. Ecclesia semper fuit pusillus grex
respectu eorum, qui extra Ecclesiam sunt. Huic pusillo
gregie constantè adhæreamus, & dabitur nobis regnum
quod

quod ante mundi constitutionem pijs paratū est. Matth.
25. Et qui perseveraverit usq; ad finem salvus erit.

II. Qui sint falsi prophetæ.

Quinam sint falsi prophetæ. In N. T. docet Apostolus dicens ad Gal. 1. 8. 9. Licet nos aut Angelus de cœlo Evangelizet vobis, præterquam quod Evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus & iterum nunc dico: si quis vobis Evangelizaverit, præter id, quod accepistis, anathema sit. Et Christus Salvator inter falsos prophetas retert illos, qui dicunt Christum esse hic aut illic; qui dicunt esse in deserto, esse in penetrabilibus. De quibus Christus dicit, quod eis sit non adeo credendum eò quod sint pseudochristi & prophetæ. Et quod tales surgent & dabunt signa magna & prodigia, etiam Christus ibi vaticinatur. Tales sunt nostro tempore pseudo prophetæ, cū primis pontificij & Calviniani, nec nō Anabaptistæ, quos Ecclesiæ nostræ damnant & rejiciunt, propter illorum Doctrinam à Sacra Scripturâ diversam. Non enim congruit illorum doctrina in omnibus, immo in pluribus dissentit à nostris parvis Biblijs, quæ sunt nostra Cathechesis, capita primaria religionis nostræ continens. Tales itaq; doctores qui ab hoc discedunt pseudochristi sunt & pseudoprophetæ. Hos Christus cavere jubet, dum dicit: Attendite à falsis prophetis. (A)

L. C. Animadvertisimus ex admonitione Christi de cavendis falsis prophetis, quod non simus tuti in Ecclesiâ Christi viventes. Sumus sicut oves in medio luporum. Deponenda est itaq; omnis securitas, vigilandum & orandum, ne incidamus in temptationē. Desiderat enim Satanus nos Cibrare sicut triticum, quod diaboli pessimū desiderium Christus suis discipulis manifestabit, eosq;

ad vigilandum & orandum admonuit. Dolendum
est; quod tam multi in Ecclesia tam securè vivant, ut pro
nihilo, ducant veram religionem apud nos servari, quasi
impossibile esset, ut ista a nobis auferretur, sicuti judæi
pro impossibili ducebant, libertatè suā aliquando an issu
ros, tantum clamabant hic templum Domini, hic templū
Domini. Verum excitus aliud docuit. Hujusmodi se
curis hominibus de auferendâ aliquando religione mina
tur Deus Amos 8. cap. Et erit in die illâ, dicit Dominus,
occidet Sol in Meridie, & tenebrescere faciam terram in
die Luminis: Et convertam festivitates vestras in luctū
& omnia cantica vestra in planctum &c. Quia respuunt
verbum Dei, inquit Lutherus, ab eis procul auferetur, ita
ut nunquam postea inveniant, et si magno desiderio ad
se trahere vellent. Ambulemus itaq; in luce, dum lu
cem habemus, amemus etiam lucem semper, ut filii lucis
semper esse possimus, & tandem post hanc mortem eā
perfruamur.

III. Modum cavendi falsos

Prophetas. Ut eos rectius caveamus, requirit Christus, ut
attendantus ad fructus eorum. Nam ex vestitu eorum
vix possumus eos dignoscere. Veniunt enim in vestitu
oviū i.e. mente iuntur simplicitatem, simulantes exteriorem
Sanctitatem propter inanem gloriam & mundanam lau
dem, aut propter temperalia aliqua, & ut faciliter decipiāt
simplices. Ne itaq; ulli credendum vult Christus, pro
pter suam simplicitatem, nam Pseudo prophetæ veniunt
cum simplicitate; Sed intrinsecus sunt lupi rapaces. Sic
Baalitæ i. Reg. 22. Simulabant divinam ordinationem,
nominabant se prophetas, sua cogitata pro Dei oraculis
venditabant, Sic enim respondent scelerant Achabo:

Asende in Ramath, & dabit eam Dominus in manum tu-
am &c. Et omnibus ejusmodi prophetis, qui in nomine
Dei non loquuntur, quod ipsis præceptum fuit, minatur
Deus mortem. Deut. 18: 20. i, Reg. 13: 18, Psal. 98: 7.
Jerem. 29: 23. 25. Quia itaq; non credandum vestimen-
tis ovium, siquidem & Christus dicit, sub illo vestitu lu-
pi rapaces celantur, ad aliud confugiendum medium, un-
de falsi doctores dignoscendi. Illud autem medium
est, quod Christus indicat etiam, falsorum doctorum fru-
etus. Hic autem fructus, non est falsorum vita potissimum.
Sed cum primis doctrina ipsorum, & hinc vult Christus
eos doctores dignosci. Quod si recte non serent ver-
bum IDei, nec ad analogiam fidei illud explicit, pateret
quod illorum doctrina mala sit, falsa, & erronea. Cal-
vinianis pro fructu est, quod Christus non sit praesens in
Sacra coena. Anabaptistarum fructus est, quod non o-
pus sit ministerio verbi. Quorum omnium doctrina in
his enumeratis vitiosa & falsa est, quippe dissentiens ab
Evangelio Christi, & Pauli, & totâ sacrâ Scriptura: ideo
& fructus est malus, ideoq; arbor, cuius est fructus ille, ma-
la est. Ergo tales doctores merito comparantur Spinis
& tribulis & malis arboribus. Tales itaq; doctores omnes
caevendi.

L. C. Videmus magnam partem mundi, horum
falsorum doctorum veneno infectam. Videmus etiam
& intelligimus nostram simplicitatem, carnis quoq; no-
stra infirmitatem: Ad tolerandas persecutions propter
confessionem veræ religionis. Serijs itaq; gemittibus in
vocandus Deus, ut finat apud nos verbum suum sicerè
& pure doceri, atq; ita apud nos Sanctificari nomen ejus,
ut arceat omnes falsos doctores, tanquam lupos rapaces,
ne invadant gregem pusillum. Oremus cum Salomo-

ne ut longè à nobis faciat vanitatem & verba mendacia
Prov. 30. Ne mittat nobis famem audiendi verbum Dei,
Amos 8. Ne sinat extingui lucem verbi sui apud nos, ut
extrudat fideles operarios in messem suam. Ut det con-
stantiam profitandi veritatem, ne abnegemus Christum.
In summâ, ne inducat nos in temptationem. Fugiamus
etiam nimiam conversationem cum falsis doctoribus.
Qui enim tangit picem inquinabitur ab ea. Amemus ve-
ros doctores veramq; religionem, & sine dubio illam no-
bis Deus sinceram & in colum servabit.

IV. Excitum Pseudoprophe-

tarum. Horribilem excitum habebunt omnes falsi
Doctores. Non loquimur autem de excitu, per mot-
tem ex hoc mundo immundo, temporali, in quo sine du-
bio incipit conscientiae cruciatus & vermis rodens; Sed
de statu illorum post hanc vitam, de quo Christus dicit:
omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur &
in ignem proiecitur. Projiciuntur enim doctores falsi
in ignem æternæ gehennæ. Facit autem Christus men-
tionem tum pænarum temporalium, tum æternarum; æ-
ternam pænam hæreticis ad cibit duplēcēm., 1. Est ex-
cidi; h.e. à consortio omnium bonorum excludi, separa-
ri à Christo. Sanctis angelis & omnibus beatis, & longil-
simo intervallo ab illis separari. 2. Ignis ille horribilis in-
fernalis, qui nunquam extingvetur. Et tunc apparebit
excitus & finis hæreticorum, & tunc fructum reportabūt
falsæ suæ doctrinæ, & idem experientur, qui ab eis sunt
seducti. Quare non immerito Christus jubet ut caveā-
mus nobis à falsis prophetis, & discernamus spiritus, num
à Deo sint.

L. C. Cuilibet videndum est, ut in verâ vivat reli-
gione:

gione: Ut in rectâ incedat viâ, ut caveat sibi à fassis do-
ctoribus. Non enim Joco res agitur; sed excitus acta pro-
babit, & horribilis poena monet, non iolum seductores,
sed etiam seductos, ne cœcus dux, se ipsum, & qui se te-
quuntur, in foveam præcipitet. Quare non levis res
est & exigui momenti, in falsâ & verâ religione vivere;
Sed plurimum interest. Agamus nos itaq; Deo gratias
humilissimas pro luce verbi Dei, pro verâ religione, pro sin-
ceris doctoribus. Habitent verbum Dei (Christi) in no-
bis abundantè in omni sapientia, docentes & commo-
nēficiantes nosmet ipsos in psalmis & hymnis & can-
tionibus Spiritualibus, in gratiâ, cantantes in cordibus no-
stris Domino. omne quodcunq; facimus in verbo aut
opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gra-
tias agentes Deo & patri per ipsum.

SECUNDA PARS.

Postquam Christus serio admonuit nos in prima par-
te, ut caveamus nobis à falsis prophetis, simulac peri-
culum & pñnam indicavits, quæ manet omnes falsos
doctores, & omnes qui seducuntur ab illis, vidz. quod
excidantur & in ignem mittantur, nisi in viam rede-
ant & recipiscant: Nam in Secunda parte generalem
admonitionem instituit, ut illi qui in verâ religione vi-
dunt, si vè doctores sint, si vè auditores, serio rem
agant, né sint hypocritæ & simulatorer. Dicit itaq;
Christus: Non omnis venit in regnum ealorum, qui
dicit Domine Domine. Ec.

In qua meditamur :

I. Quinam sint hypocritæ.

Hypocritæ sunt, ut Christus explicat, qui dicunt Domine, Domine, h. e. non habent veram & firmam fidem in Christum, ore saltem appropinquant Christo, corde autem longè remoti sunt ab illo, sicuti judas vocavit Christum magistrum, osculatus est etiam eum, verum in corde gestavit fel & venenum, voluit enim sicuti fecit prode-re Christum. Et tales sunt omnes, qui ore profitentur Christum corde autem non credunt, homines ita fallunt: videntur boni Christiani, tolerantur in Ecclesiâ, volunt primi esse, reliquos contemnunt. Sicuti Phariseus iste inflatus dixit: Non sum sicut cæteri homines, & sicuti publicanus iste. Luc. 18. Tales fuerunt pharisei, qui externâ suâ obedientiâ putabant se iustos esse coram Deo; Sicut ille apud Marcum cap. 10. 20. Respondebat. Hæc omnia observavi à juventute meâ.

L. C. Fædum & teturum vitium hypocritis est, quare diligenter fugiendum, fædum est hoc vitium & valde dedecet hominem Christianum, habet etiam secum pænâ gravissimam scilicet flamam gehennæ. Fæditas hujus vitij describitur prolixè Matth. 23. 13; ad 34. Pharao erat hypocrita Exod. 6. v. 27. 28. 29.

II. Qui non sint hypocritæ.

Qui faciunt voluntatem patris Cœlesti non sunt hypocritæ. Non omnis, inquit Christus: qui dieit mihi Domine &c. Illi vero faciunt voluntatem patris Cœlestis & verè sunt Christiani, qui honorant filium, qui agnoscunt ipsum verum Deum & in eum verè credunt, Joh.

3. Qui credit in Christum non peribit, sed habebit vitam
æternam. Qui itaq; sic in Christum verè credit, eiq;
constanter adhæret usq; ad finem, qui etiam ornat fidem
suam bonis operibus, ille intrabit in regnum cœlorum, &
hæc est voluntas patris cœlestis, ut omnis qui credit in fi-
lium non pereat; Sed habeat vitam æternam. Et ut lux
ceat lux nostra coram hominibus, ut videant nostra
bona opera, & glorificetur pater noster cœlestis'.
Matth. 5. (B)

L. C. Quia Deus pater cœlestis unicè
vult, ut filium ejus JESUM CHRISTUM audiamus,
fide amplectamur, amemus & in amore & fide
perseveremus, & fides in Christum & amor illius
vera sunt dona Dei: Orandum est, ut cœlestis
pater, Spiritu suo Sancto, fidem in nobis excitet,
Charitatem largiatur, constantiam concedat
usq; ad finem perseverandi, & fidem nostram
bonis operibus ornandi, ut intremus post hanc
vitam regnum cœlorum.

C oncludamus itaq; hic præcatiunculâ, petentes ut
filius Dei, Dominus ac salvator noster JESUS
CHRISTUS, Perpetuò nobis adsit, impertiens
suam gratiam, Spiritu Sancto in pectora nostra infus-
so, ut lucem ac veritatem incorruptæ doctrinæ,
firmâ fide conservemus & retineamus, ipsumq; vera
pietate & gratitudine, veris officijs & honoribus
in omni æternitate colamus, quemadmodum paulo an-

Be agnem, præcatus est ipse æternum patrem: Job.
17. Pater Sanctifica eos, in veritate tuâ, sermo tuus
veritas est,

Benedictio, & Claritas & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Visa
sus, & Fortitudo, DEO nostro, in Secula seculorum, Amen.. Apoc, 7:18

Q U Ä S T I O N E S

A N hæc admonitio de cavendis falsis prophætis per-
tinet ad totam Ecclesiam? Aff.

Sicut principio concionis cœperat loqui
Apostolis, discipulis & turbis: ita conclusionem
etiam ad totum cælum accommodat. Et
monet Pseudoprophetas cavendos esse illis, ad
quos veniunt, sinè dubio Ecclesiam, sive audi-
tores, intelligit. Ad illos enim veniunt. Hæc
verò vigilantia & sollicitudo attendendi à falsis
prophetis, præcipue pertinet, ad officium Apo-
stolorum seu ministrorum. Ita enim Act. 20,
28. Paulus prebyteris seu Episcopis, quos Ephe-
so evocaverat, hanc admonitionem proponit
Attendite vobis & universto gregi. &c.

22. Num ille qui habet donum prophetandi, dæmo-
nia ejicienâi, & faciendi virtutes damnuandus tanquam
Pseudopropheta? Rsp.

Nul.

Nullo modo, Sunt enim hæc dona partim
necessaria ad ministerium, partim utiliter illud
ornant & promovent. Sed Christi sententia hæc
est: hæc dona sola & per se non esse sa-
tis certa ~~xpirigix~~, ut cui hæc adsunt, consequens
sit necessariò doctrinam ejus veram & sanam esse,
ut non opus sit aliquâ consideratione, & inquisi-
tione de doctrinâ, ubi talis externa species adest.
Monet enim Christus etiam pseudoprophetas hæc
specie, personâ seu larvâ, induitos in scenam pro-
dire. Quando igitur de doctrinâ instituendum
est judicium, consilium Christi est, non esse primò
& principaliter respiciendum ad externam
illam, quantamcunq; speiem; Sed removendas
esse personas illas è scenâ (sicut dicitur) & ve-
stimentum ovium deerahendum ut qualis doctri-
na ipsorum sit, facilius & rectius dijudicari pos-
sit. Quando enim doctrina depravata est, tunc
externa illa species tantum est larva & de-
cipula ovium. Hoc igitur primum est
Sicut non ex folijs & floribus judica-
tur de arbore, ita separandum est
vestimentum ovium ab
ipsâ doctrinâ.

